



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebus Bohemicis Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Lvgdvni, 1621

S. Venceslai, Bohemiae Ducis ac martyris, vitae feries. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11069

tropolitanæ Pragensis, lib. 4. Bohemiam Piæ.

De S. Heduuige, Ducissa Silesiæ, vide infrà cap. 9.

C A P V T V.

S. Venceslai, Bohemia Ducis ac martyris, vitæ series.

SANCTVS WENCESLAVS, nobili Ducû Bohemiæ sanguine procreatus, patrem habuit *Vratistaum* præstanti religione, at matrem *Drahomiram*, crudelis ingenij, & impietatis magnæ feminam. Primis pueritiæ annis ab auia paterna *Ludmilla*, egregij exempli matrona, probè educatus, ac Sacerdotibus Christianis in disciplinam est traditus.

Hinc defuncto patre, cùm mater

ter principatum inuasisset, & Christianæ religioni infesta immineret, opportunè Wenceslaus, auix studio, in paternã ditionẽ euectus est.

At Drahomira, inuidiæ stimulis agitata, cum gratiam suam auix postponi, plusque apud filium, in Religionis præsertim causa, quàm se, posse dolet; educatores ac Sacerdotes fugat, atrocia edicta in Christianos proponit, ac denique Ludmillã ante altare prouolutam, postquã ex mologesi peccata sua Sacerdoti aperuisset, & de eius manu sacrum viaticum accepisset, immisissis percussoribus, obliiso guttore, suffocari curauit.

Hinc Wenceslaus, ad maturiorem ætatem progressus, sedem Pragæ fixit, excussoque matris impiæ iugo, primores Bohemię ad se euocatos sic allocutus est, vt palam iis denuntiaret, se seruum esse Christi,
neque

neque idolis honorem vllum permittere posse. Ex quo passim idola comminui, atque ecclesias, à matre Christianis occlusas, reaserari iussit.

Memor verò, quibus institutis, auix cura, adoleuisset, cum modestiæ ac pudicitix laude, tum aliis sanctitatis exemplis sic mores ornare cœpit, vt plus in eo sæculi cōtemptus, quàm Principalis apex emineret. Nocte media cōsurgens cæfos ab se lignorum fasces humeris suis è nemore exportabat, vt pauperes iis refoueret. Triticum in hostias, vinum in sacrificium propriis manibus expediebat, perpetua virginitate conspicuus. Oblatum ab Imperatore Othone Regis titulum recusauit.

Tam in se durus corporis dormitor exstitit, vt sub fulgenti veste cilicium gestaret; nocte peruigil, vno comite, nudis pedibus, ecclesias obiret;

obiret; faucibus interdum ita plantis, ut largè cruor deflueret. Dies per similia pietatis officia exigebat, languentes inuisendo, nudos vestiendo, pauperes alimentis sustentando, crebris vigiliis ac inedia corpus suum atterens.

Tandem à fratre *Boleslao*, & infesta matre, in speciem honoris ad natalitia infantis, recens à fratre suscepti, inuitatus, ad eum, non sine præfagio imminentis periculi, securus accessit. Solitoque more templum nocte intempesta ingressus, detestabili parricidio, istuc à *Boleslao* germano, in capite vulneratus, ac mox satellitum crebris vulneribus interfectus est. Percussores omnes ultione diuina puniti. Templi paries, in quo martyr cæsus, nullius opera abstergi eluique potuit à cruore, quo respersus ex corpore *S. Wenceslai* fuerat.

CAPVT